

SERENISSIME

PRINCEPS ELECTOR,

CLEMENTISSIME DOMINE!



uantæ molis Opus suis fibi
humeris imponant ii, qui
de rebus ad historiam Na-
turalem spectantibus tractare præsu-
munt, vel ex eo constare satis arbitrer,
quod ea sit res tam ampla, atque augu-
sta, ut nimium non dixerim, si iisdem
eandem terminis, quibus hoc Univer-
sum, comprehensam esse, profitear.

Mirando equidem priscais Temporibus,
et stupendo magis ausu , quam felici id
successu tentasse plures , Eruditis con-
stat: Feliciores tamen fuere posteri , cum
copiosior se se offerret materia , quae hac-
tenus , velut in Chao , delituerat ; Physio-
philorum etiam numerus ubivis augere-
tur , quibus ea , quae Avorum tempori-
bus reperta , Patrum detecta , suo deni-
que penitus lustrata fuerunt , uberri-
mum præbuere Priscis adjiciendum Co-
piæ novarum rerum Cornu.

Quarum quia ipsemet non contem-
nendam partem curiosus sum Inventor ,
Inspector , et Notator , certe non debeo
hoc meum qualemque Talentum abs-
condere , et servum me facere inutilem ,

Quod

Quod amoliri à me crimen satagens
cepi horis subsecivis à me Collectorum,
et per Annos omnino undecim, cùm per
utrumque Ducatum habendis aliàs S. S.
Missionibus occuparer, ubivis inven-
torum Catalogum concinnare, qui pro-
dire aliquando gestiens, SERENITATEM
TUAM adeundam sibi putavit, quò sub-
tanti Nominis non solùm Auspiciis gra-
tiam, siquam mereatur, tueri; sed et
patrocinio, ac favore Tanti Principis tu-
tus faciliùs eò se se probare aliis posset:

Id verò audendum mihi tantò fiden-
tiùs existimo, cùm in ELECTORALI SERE-
NITATE TUA Fautorēm habeam, qui felici-

tatum suarum cumulo superaddere illam
Sapientiæ partem contendit, quæ in Con-
templatione operum DEI naturalium
consistit.

Quodsi SERENITAS TUA suscipere
pagellas hasce dignabitur, perque otium
inspicere, et vel umbrâ Favoris prose-
qui; profectò nihil mihi vel optabilius
vel honorabilius evenire in omni Vitâ
poterit.

DEUM OPTIMVM MAXIMUM veneror,
oro, et adprecor, ut SERENITATEM
TVA M impleat omni benedictione, pros-
peritate, felicitate

SERENITATIS TUÆ
ELECTORALIS

DEVOTISSIMUS CLIENS

Franciscus Beuth

Missionarius Julio-Montensis.